

*Semper infixæ fuit? Quid enim catholicam religionem, cuius
 semper studiosi fuistis; quam una cum imperio, ac libertate
 hausistis, commemorem? pro qua arma in remotissimas
 regiones intulistis; sanguinem sæpius intrepide profudi-
 stis; & modo, pro dolor, colluvione perditorum hominum
 in hanc provinciam vocata, in discrimen adducitur, quo quid
 acerbius, quid gravius audiri, aut excogitari potest? Exigua
 hæc ne vobis ad opem Paulo Pontifici Optimo Maximo feren-
 dam videntur incitamenta? An potius per se satis rerum ma-
 gnitudine incendere, & pietate allicere debent? Res quoque
 vestra agitur: nisi forte, armis universa circumstrepente Italia,
 nulla vos publicarum calamitatum cura tangit: nisi vasti istius,
 quod alitur, incendii flammæ ad vos minime pervasuras
 arbitramini; neque tot incrementis auctas, atque exaggeratas
 Cæsareanorum fortunas in vestram perniciem coituras unquam
 existimatis; cum majores vestri nimium in hac provincia ex-
 ternorum efferentes se se vires, regnandique cupiditatem fœde-
 ribus coercere, & obtundere armis conati sint, vosque ipsi
 nullis laboribus, nullis sumptibus, ut decus, ac libertas hujus
 provinciæ retineretur, peperceritis. Cum igitur hæc tot, tan-
 taque sint, ut Reipublicæ vestræ utilitas, religionis causa, pon-
 tificia dignitas agatur, quæ vos ad auxilia Paulo ferenda
 suadeant, quid oratione mea, quid suasionis opus est? Am-
 plum terra, marique imperium obtinetis; classes vobis, atque
 copię adsunt; pecunia suppetit; summa vestra apud omnes
 Principes auctoritas. Quid vel ad utilitatem præstantius, vel
 ad gloriam propagandam illustrius, quam majorum virtute, ve-
 stris laboribus congestas vires, atque opes ad Pontificis subsi-
 dium adhibere? Justa, ac pia pro Apostolica sede arma su-
 mere, vel auctoritate vestra niti, ut subortæ controversiæ, ac
 dissidia tollantur, bellum ab Italiæ finibus arceatur, Pontifi-
 cum Romanorum dignitas, ac vetus catholica religio retinea-
 tur? Hæc profecto Paulum facile a vobis consecuturum reor,
 dum majorum vestrorum facta, atque instituta intueor, qui,
 ut in civium animis flammam virtutis alerent, in splendidissima
 comitiorum aula illustria exempla excellenti artificio expressa es-
 se voluerunt; inter quæ veluti lumina, illud egregie micat,
 quo Alexandrum tertium Pontificem Maximum excepistis, fo-
 H. Mauroceni T. II. G vistis,*